





xxx.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
JURERIPATICORUM
SEU DE JURE HABENDI PONTO-
NEM IN FLUMINE PUBLICO,
vulgò *Säbr-Berechtigkeit* / *rc.*

OVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
PERANTIQUÆ UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D O M I N O
PHILIPPO WILHELMO,
SR. I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTI-
TIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESJARUM MO-
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUÆ

ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. HENRICI Meiers / JCTI.

ELECTORAL. REGIM. CONSILIAR. PROFESS. DECRETAL. PUBL. FACULT.
JURID. p. g. DECANI AC SENIORIS, ET JUDIC. PROVINC.
ASSESSORIS PRIMARI,

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORALEM IN UTROQUE JURE ADIPISCENDI,
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGI MAJORIS,

Die 27. Novembris 1714. publicè defendet

AUTOR ET RESPONDENS

CAROLUS JOACHIMUS Thönniker/
ADV. IMMATR. HACT. SCHNEEBERGENS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHIL, Acad. Typock.

177.

DISPUTATIO IN ACADEMIA JURIDICA

DE
JURISPRUDENTIA

IN REBUS PUBLICIS

AVCTORE

DOMINO

WILHELMO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO

FRIDERICO



Q. D. B. V.

Disputaturus de Jure Ripaticorum, seu de Jure habendi Pontonem, non immeritò necessarium puto, in origines rationesque verborum inquirere, terminosque enucleare, antequam me ad rem ipsam determinandam accingere possim. *arg. l. 1. ff. de just. & jure Angel. Consil. no. num. 7.* neglectus enim terminorum & vocabulorum sæpenumero totius rei parit incertitudinem, cum è contrario per eorum accuratiorem inspectionem ad rei ipsius faciliorem cognitionem provehamur, & non rarò ipsa totam rei rationem exhauriat. Quamobrem omnino operæ pretium duxi, nonnulla de dicta vocum significatione hîc præmittere,

s. II.

Supervacaneum autem existimo de Etymologiâ, Synonymiâ & Homonymiâ vocis: *Jus*. longâ serie multa exponere, cùm hoc non solum *in l. 1. ff. de just. & jure pr.* satis actum, sed etiam ab aliis abundè vulgò præstitum fuerit; hinc paucis me explicabo dicendo, vocabulum Juris impræsentiarum

pro legitimâ facultate aliquid vel faciendi vel omit-
tendi accipi; opponi quidem posset, quòd in hoc
significatu magis sit qualitas moralis, ad aliquid ju-
stè habendum, vel agendum, sed si rem rectè inspi-
cias, mox videbis, unum ex altero fluere, & hanc
significationem è priori colligi, uti hoc eleganter
deduxit Grotius *de J. B. & P. l. 1. c. 1 § 4.* eo ipso
enim, quo mihi à Lege aliquid concessum est, jus
quoque exinde consecutus sum, ad agendum, vel
habendum.

§. III.

Ripaticorum denominationem ortum à ripâ
trahere, nemo inficias ibit, suntque secundum
Ferrar. *l. 5. de feud. c. 7. V. S.* Sunt & riparum &c.
nihil aliud, quàm proventus & commoda, quæ
occasione riparum percipiuntur, ut hanc vocem
lib. 2. Feud. tit. 16. reperimus, & inter alios Baro
eam sic intelligi vult, dum ripatica vocat jus,
quod occasione ripæ percipitur; Cujacius & Ho-
tomannus portorium nominant; Propius ad ex-
plicationem clariorem accedunt, Alvarot. & Præ-
pos. qui definiunt, ripatica ita præstari, si de ri-
pa in ripam flumen transeat; Intelligitur au-
tem hîc flumen publicum, cum aqua, vel flumen
privatum nihil àb aliis locis privatis differat. *l. 1. §.*
Hoc interdictum. & §. item si amnis ff. de flumin.
Vocabuli autem hujus mentio in jure communi
ulteriùs, quam in allegata Friderici Constitutione
non sit, nec quicquam ullibi amplius de ripaticis
cautum

cautum legimus; Quia verò non tantum ripatica propterea debentur, si pontone flumen transire facultas alicui detur, ex etymologia enim nulla ad pontonum significationem restrictio sumenda est, hinc quoque nemo errare mihi videtur, si asserat, istud etiam vectigal, quod traseuntibus super pontes præstandum imponitur, & alias pontenagium vocatur, ripaticum appellari posse; Sequimur autem in præsentiarum, mittendo quasvis, & quam prægnantes pro cuiusvis palatu sint, rationes, sensum ripaticorum in communi & imprimis sensu jam recepto juridico practico vel applicativo, non immerito sequimur. Dn. Berger. in *Oeconom. Jur. p. m. 213.* qui ibi definit, quod jus ripaticorum nihil aliud sit, quam jus trajectus, sive pontonem habendi *die Fähr-gerechtigkeit* in flumine publico, ut supra monuimus, & hoc quidem, cum ratione effectus unum idemque sit, & unum ex altero sequatur, quòd nempe is, qui ripatica exigit suo nomine, jus quoque trajiciendi & pontonem habendi possidere debeat. Ponto aut nihil aliud est quam navis, in trajiciendis omnibus pontis usum præbens, originem igitur suam à voce pontis trahit, hujusque vocabuli imprimis occurrit mentio in *l. fin. ff. de serv. præd. rust. & Jul. Cas. lib. 3. de bell. civil. c. 29.* pontones, genus navigii Gallici interpretatur, eorundemque usum apud Gellium *lib. 10. N. A. c. 25.* commemoratum legimus.

A verborum explicatione ad rem ipsam brevibus nos accingemus, videbimusque qualemnam locum in jure nostrum jus ripaticorum seu habendi pontonem sibi vindicet; notum est, jure Romano civili, jus alicui legitime quaesitum seu ejus objectum dividi in jus personarum & rerum & jus circa actiones. §. ult. *J. de J. N. G. & C.* Mitramus reliquas divisiones, & ex jam allegatis pauca quaedam de jure rerum potissimum videamus: Jus rerum igitur, quatenus juri personarum opponitur, est facultas jure quaesita, circa rem competens sive rem ipsam afficiat, sive personam ad aliquid dandum faciendumve obliget *l. 25. ff. de oblig. & Act.* Generalissima exinde oritur divisio rerum, quam, aliis omissis, ad obtinendum scopum nostrum attingere volumus, quod nempe res sint vel in patrimonio, vel extra patrimonium nostrum constitutæ: Illæ sunt, quarum intuitu possidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandas eas, actionem habent *l. 52. ff. de acquir. rer. domin.* illud autem in patrimonio esse, nullum alium habet significatum, quam esse in bonis, afficitque moraliter tam corporales res, quam incorporales, seu jura, *l. 49. ff. de verb. sign. l. 52. ff. de acquir. rer. domin. & servitutes, l. 5. §. 9. ff. de oper. nov. nunc.* Modi autem, quibus res in patrimonium singulorum devenire queunt, in jure civili varii dantur, hinc inde in jure fuse satis recensiti, quamobrem

eos quoque sicco quasi pede transgredimur; non-
 nulla saltem de rebus extra patrimonium consti-
 tutis perpendenda nobis proponimus: Hæ enim
 sunt, quæ vel in privatorum patrimonium redigi
 nequeunt atque dominum propriè non admit-
 tunt, *l. 1. ff. de rer. divis.* & sunt vel naturali jure
 communes, ut aër, aqua profluens, mare littora-
 que maris §. 1. & 3. *J. de rer. divis.* vel publicæ,
 ut flumina, portus *d. l. 1. §. 2.* huc etiam quodam-
 modo referendæ sunt ripæ, sed saltem usu: nam
 proprietates riparum illorum est, quorum fundis
 adherent. *c. l. §. 4.* Vel sunt universitatis, &
 hæ vel absolutè, e. gr. *Gemeinde Ager* / vel in
 patrimonio existentes, e. gr. *Cammercy Güter*
Struv. §. J. F. c. 6. n. 1. vel nullius ut littora, non
 quoad usum resp. ejus enim publica sunt, proprie-
 tate verò nullius, *ibid. §. 3. 5.* hujusmodi censentur
 & res sacræ, per Pontifices DEO consecratæ;
 Religiosæ huc aliquatenus referri possunt, veluti
 locus, in quem mortuus est illatus: Sanctæ, ut
 muri, portæ civitatis, leges *ibid. §. 7. 8. 10.* Cum
 igitur rebus publicis accenseantur flumina, quæ
 proprietate sunt populi, verè vel repræsentativè,
 usu autem omnium jure gentium, restrictivo mo-
 do, ratione scil. omnium ex populo, non omni-
 um omnino hominum *Zigl. de jur. Maj. l. 2. c. 15.*
ib. 5. exindè quoque sequitur, quod jus habendi
 pontonem, seu ripaticorum reipublicæ membris,
 vel individuis competat, quia hoc exercitium omni-
 nò

nō ad usum fluminis pertinet, non minus ac jus piscandi & alia. *arg. §. 2. J. de rer. divis.* Verum igitur est, jus ripaticorum, seu habendi pontonem secundum æquitatem naturalem & principia juris civilis ad usum fluminis, ideoque ad republicas in specie tales referri ac nemini ex republica contra alium, ratione exercitii hujus, jus quoddam contradicendi, multo minus prohibendi competere.

§. IV.

Sed dicamus hodiè, quòd à statu populari ad statum Monarchicum non valeat consequentia, in statu enim populari usus fluminum erat singulorum è populo, sed non in monarchico, etiam si non à proprietate universi populi ad usum singulorum è populo concludatur, attamen hæc conclusio non valet à proprietate Principis ad usum subditorum promiscuum; hinc, quamvis res ita se habeat, secundum jura, ut jam monui, Romano civilia, attamen hodiè statùs ripaticorum longè alia facies est; referuntur enim quoad usum nunc temporis inter regalia *L. 2. F. 2. §. 6. Zigl. de jur. Maj. l. 2. c. 16. n. 4.* quæ sunt jura, ei, qui superiorem non recognoscit, competentia, ad reipublicæ salutem & decus tuendum. *Zigl. de jur. Maj. l. 2. c. 3. §. 18.* quoad proprietatem absque dubio reipublicæ adhuc sunt, & ad privatum principis patrimonium non pertinent, ideoque licet privatæ res Principis ad hæredes trans-
eant,

eant, utcunque in principatu non succedant *l. quod principi. ff. de legat. 2.* tamen regalia manent post mortem principis penes principatum, & ei debentur, qui in principatu succedit; est ideo tantum usus, quarundam rerum, quas jam regalia vocant, singulis in republica ademptus, principique aut magistratui concessus, ut justitiam faciant subditis, & videtur princeps addixisse operam suam subditis pro Regalibus, ceu notat Matth. *de Afflict. de Regal. ad rubr. quæ sint regalia?* Dissentit quidem ab opinione nostrâ, ex Friderici Constitutione hausta, negatque ripatica inter regalia esse referenda *l. fernia & cum eo jam dictus Afflict. c. l.* existimantes, quia in reliquo jure communi nullibi ripatica inter regalia referuntur, neque ullus quispiam auctorum, ut Sigonius & alii in vita Friderici ripaticorum vel etiam riparum mentionem facit inter regalia; exinde consequi, quod Principes potius per abusum ripatica contra jus commune sibi attribuant: Sed nihil hæc nobis obfunt, sufficit enim, in hac Friderici Constitutione cautum esse expressis verbis, quod ripatica inter regalia sint referenda, & hoc duplici jure, ac duobus concurrentibus titulis & argumentis; à natura scilicet fluminis & jure vectigalium percipiendorum; inde hanc opinionem & sententiam probatissimorum Interpretum autoritate nisi sequimur, affirmantes: Ripatica hodie esse de regalibus.

Quousque autem ripatica regalibus accenseantur, expeditum non est, sed imprimis distinguendum hic, inter voluntatem & potestatem principis; Princeps enim vi dominii quoad regalia, cui illud jus inhæret, propter jus prohibendi, etiam si non semper hoc exerceatur, privato usu in flumine publico subjectis ripaticorum & pontonum interdicere potest; usus igitur eorum privato in tantum permissus censetur, in quantum princeps non contradicit; quamdiu autem contradicere possit, inferius monstrabimus, ante omnia perpendendum: an & quâ ratione jus ripaticorum in privatum transfundi queat?

§. VI.

Quod regalia in bona privatorum devenire possint, nemo est, qui ambigit, cum experientia nobis non unicum exhibeat exemplum; Videamus igitur paucis, an regalia cedi, aut permitti modosque, quibus privato acquiri queant? Negamus quoad prius cum Ziglero & aliis, quod regalia, tanquam regalia in bona privatorum transferri possint, quia omnibus quasi principalis dignitatis semper inhærent, & ab hac separari nequeunt; si vero regalia, ut communiter loquimur privato conceduntur, accipiendum id est de exercitio & permissu emolumentorum, magis, quam ipso regali. Zigl. *de jur. Maj. l. 1. c. 3. §. 18.* & quamvis Dionys. Godofr. *in notis ad l. 2. f. 4. 56.* absolutè affirmare videatur,

videatur, regalia alteri cedi posse, attamen, cum jus principatus ibidem eximat, facile apparet, unam eandemque ejus esse cum Ziglero opinionem; Sic licet vel concessione, vel præscriptione, uti inferius notabimus, jus ripaticorum in bona transeat privata, ob id tamen in privato non est regale, sed tanquam commodum saltem fluminis & exercitium Regalis ei accedit, illæis juribus status, salvaque superioritate. Add. Andr. Knichen *de jur. territ. c. 1. n. 125. sq.* Matth. Stephan. *de jurid. l. 2. p. 1. c. 7. n. 22. sq.* Quandoque ripatica jure feudi conceduntur, sed non conceduntur quatenus regalia, sed ut privilegia, vel ut usum & delatam eorum quis habeat administrationem, quæ jure alias superioritatis principibus competunt, quæ tamen sic concessa absque ratione adimi nequeunt Titii Lehn-R. p. m. 169. attamen negandum non est, quia ejusmodi exercitium quasi inhærens & perpetuum est, facile præjudicium quoddam excitare posse. Et hoc modo ripatica in privatum transire possunt usum. Ratione modi vero ejusmodi jura vel privilegia acquiruntur à privato vel per litteras investituræ expressas sive concessione speciali, da ein Lands-Herr seinen Unterthanen / oder einem anderen durch einen ausgestellten Lehn-Brief mit dem Recht eine Föhre zu haben / und daß er deshalben von denen Ubersahrenden einen gewissen Zoll / oder Fahr-Geld fordern möge / mit gewissen Einschränkungen / und unter Beding beson-

ders Ihm zuerweisender Tren/beleibet / & hac rati-
 one nec ulli licet exercere jus ripaticorum, nisi
 prius de hoc expressè sit investitus, idque specia-
 liter impetraverit ab Imperatore vel Principe su-
 periore; & hoc modo pleraque regalia sive mayo-
 ra, sive minora appellites, privato concedi pos-
 sunt, quamvis Struv. *S. Jf. c. 6. § 13. n. 3.* huic af-
 ferto repugnet dicatque quod tantum ea regalia
 quorum usus absque Majestate esse possunt, conce-
 enda sint; Nam cum regalia, quoad talia, nun-
 quam absque principali dignitate esse, nec alicui
 dari queant, privatis verò non dignitas aut rega-
 le ipsum sed jus exercendi regale nomine prin-
 cipis, à principe concedatur; hinc natura regalium
 non repugnat, quo minus ferè omnia privatis da-
 ri possint. Sed an non quædam regula prudentia
 non juris, hinc observari debeant, nostri jam insti-
 tuti non est, perpendere; Sed transimus ad alterum
 acquirendi regale juris ripaticorum vel habendi
 pontonem, modum; vocatur autem iste tacitus, &
 fit per præscriptionem, hinc autem ante omnia distin-
 guendum est, utrum privatus ea à Principe, an
 verò à privato acquirere velit? Si prius, requi-
 ritur immemorialis præscriptio, quæ est acqui-
 sitio rei jurisve, per possessionem & negligentiam
 ejus temporis, cujus in contrarium memoria non
 extat, & hac præscriptione regalia acquiruntur.
*C. 1. de præscript. 6. Carpz. p. 2. c. 3. d. 24. Zigler.
 de jur. Maj. l. 2. e. 17. §. 37.* nam quæ aliàs de præ-
 scriptione

scriptione temporali temporis longissimi & cente-
 naria in jure communi constituta habemus, hic ne
 minimum applicari possunt, sic ut jus ripaticorum
 exercitum a quodam inferiore per tempus cente-
 narium, nullum tamen exinde jus consecutus sit,
 sed tantum requiritur temporis intervallum seu
 lapsus, de cujus memoria non extat inter homi-
 nes *Recess. Imper. Anno 1548. §. Wann auch ein
 Ausgezogener & s. Wo aber innerhalb Menschen-
 Gedächtn. & in hoc jus Saxonicum ne minimum
 quidem à jure communi recedit, hinc rectè scri-
 bunt, Matth. Colerus ad c. de quarta n. 88. extr. de
 præscript. Petr. Heig p. 1. quest. 16. n. 47. Chri-
 stoph. Zobel. p. 2. diff. 2, n. 2. Regalia in foro quo-
 que Saxonico non nisi tempore immemoriali præ-
 scribi; Et in hunc modum scabinatus Lipsiensis
 respondit ad consultat. in causa M. W. ab V. Meuf.
 Jul. 1628. vide verba apud Carpz. p. 2. c. 3. d. 24.
 Posteriori autem casu, regalia contra privatum
 ordinario tempore præscribuntur c. 26. *vers. præte-
 rea X. de V. S.* cum principis non interfit, à quo
 exerceatur v. c. jus ripaticorum, utrum ab eo,
 cui ipsemet concessit, an ab alio, qui istud acqui-
 sivit à concessionario per præscriptionem; atque
 sic multum interest, utrum regalia præscribantur
 contra Principem immediatè, an mediatè, uti
 monet Dn. Berger. in *Oeconom. jur. p. m. 263. Si au-
 tem Titium im Lehn-Recht c. 12. §. 15.* sectari
 mens fuerit, omnia, quæ de præscript. imme-
 moriali*

moriali contra Principem, diximus ut & ultima hæc distinctio planè supervacanea forent; negat enim Titius, regalibus immediatè contra Principem præscribi posse verbis: Aber es wird die Verjährung wider den Lands-Herrn billig gar verneinet/ die auswärtigen Gesetze gelten hier nicht/ weil sie nur zum Gebrauch der Urthanen angenommen/ auch überhaupt nicht leicht zu vermuten/ daß sich Regenten Privat-Gesetzen unterwerffen. Sequitur hanc opinionem Dn. Thomas. in *dissert. de præscript. Regal. ad jura Subditor. non pertinent. hab. Halle 1696.* deducitque ibidem, quousque Recessus Imperii de Anno 1548. §. 56. & 59. de præscriptione immemoriali valeat, receptus & accipiendus sit. His tamen omnibus benè ponderatis usus & praxis fori teste Carpz. *l. c.* & Menck. *Tract. Syn. ff. Th. Pr. i. l. 2. T. 6 p. 516.* aliud docent, illisque assertis, tanquam curiosis, usu non receptis omninò derogant; Cum enim præscriptio eum in finem introducta sit, ut per eam, tanquam ex pacto tacito jura immutentur atque Princeps aliusvè superior iisdem non unquam contra subditos utatur, non immeritò ea contra Principem quoque admittenda est,

§. VII.

Acquiritur igitur jus ripiticorum ratione modi, vel expressè per concessionem & investituram; vel tacitè per præscriptionem à Principe immemorialem; quamdiu autem hæc concessio tacita, aut

ex-

expressa ab exercente non docetur, tamdiu Princeps contradicere potest, quæ contradicatio in Saxonia cum pœnali quodam præcepto, vi potestatis territorialis conjuncta est, quod tamen tantummodo ad Albim restringendum; extat enim speciale Edictum d. 14. Novembris 1645. promulgatum & repetitum d. 21. Julii 1671. quo vetitum est, ne quis habeat pontonem in Albi sub pœna confiscationis omnium bonorum, & quoad magistratum illius loci sub pœna 50. Joachimicorum, quod adeo capiendum, ut invito Principe ne quidem ad domesticum usum, pontonem in flumine liceat haberi uti putat Dn. Berger. *in Suppl. ad F. D. F. P. 1. p. 594.* Cui tamen occurrit B. Zigl. *de jur. Maj. l. 2. c. 16. §.* nisi nempe titulus concessionis, uti jam dictum est, doceri queat ab exercente:

§. IIIX.

Certum igitur est, Principem, posse privatum, ne utatur hoc jure, se invito, prohibere; in dubio autem adhuc est, an privato contra privatum jus prohibendi, ne habeat pontonem & ne exercent jus ripaticorum competat? Iterum hic oritur quæstio, utrum quis pontonem habens lucri captandi animo aliquid pontivegium ab iis, qui trajiciuntur, exigere possit, an verò tantummodo ad privatos usus, absque ullo lucro ponto extructus sit? Sed hæc impræsentiarum parum ad nos, respectu enim privati contra privatum unum idemque erit, sive cum lucro, vel sine lucro

ero jus ripaticorum exerceatur. Putat equidem
 Dn. Berger. *in Suppl. El. disc. for. P. 2. p. 593.* quod
 privatus, qui cum jure habendi pontonem investi-
 rus est, alterum prohibere queat, ne pontonem
 exstruat, ad commerciorum usum, non vero ad
 domesticam utilitatem v. c. fructuum colligendo-
 rum causa, vel ut domestici ac familiares ultrò ci-
 troque tum & vehicula & jumenta commeare
 queant, adducitque ibidem Responsum quoddam
 Scabinorum Vitembergensium *M. Jul. 158.* quo sen-
 tentiam suam confirmatam reddere conatus est alle-
 rit quoque *Zigl. de jur. Maj. l. 2. c. 16. §. 4.* nil pro-
 hibere, quominus à privatis pontones habeantur,
 si nihil exindè quærat lucri, nec in eum exstru-
 antur usum, ut pontivegium seu ripaticum ab illis,
 qui trajiciuntur, exigatur, sed fructuum colligen-
 dorum causâ tantum facti sint, additque quòd ita
 in Curia provinciali Vitembergensi pronunciatum
 fuerit in termino Michalis 1660. Quatenus hoc as-
 sertum valeat, & utrum de privato contra priva-
 tum, an verò etiam de privato contra Principem
 verum sit, supra attingimus, credimusque omninò,
 Ziglerum hoc loco tantum de privato contra pri-
 vatum locutum esse, Principi verò vi dominii,
 quod ipse in flumine habet, omninò jus prohiben-
 di, ne etiam pontones ad usus privatos habeantur,
 competere. Ponimus igitur, privatam contra
 privatam jus contradicendi non habere, quo mi-
 nus exstruat, alter pontonem ad usum familia-
 rem;

rem; inde tamen non sequitur, privato e contrario licere, ut impediatur privatum, ne jure ripariorum vel pontonum utatur, pontevegium aliaque commoda ab iis, qui trajiciuntur, exigat & recipiat. Amplectitur hanc opinionem inferius Dn. Berger. c. 4. p. 594. negatque eidem, qui a Principe cum jure habendi pontonem *eine Fähre zuhalten / mit der Fähre-Serechtigkeit* investitus est, illico jus prohibendi tribuendum esse; Irrita enim est conclusio: Princeps alicui in suo flumine dat potestatem habendi pontonem; Ergo eidem etiam facultatem dedisse viderur, ut alium prohibere possit, nec eodem jure utatur; Soli sane Principi competit jus prohibendi transitum per flumen, nisi eidem illud quoque speciatim acquisitum esse, ostendatur, privato enim contra privatum in flumine jus prohibendi merito denegatur; ut puta cum quis velit exstruere pontonem in flumine, tum enim Princeps quidem, non item privatus, quamvis hic jus molendini, aut pontonis impetrarit a Principe, alterum prohibere potest, quo minus utatur hoc jure; Berg. *Oecon. jur. p. 213. ejusd. Elect. disc. for. p. 1601. § 183. sq.* Et si rem ulterius inspiciamus, privatus non opus habet jure quodam prohibendi contra privatum, cum, uti jam supra diximus, praesertim in Albi fluvio, poena ab Electoribus Serenissimis confiscationis bonorum in eo statuta sit, qui absque concessione tacita, vel expressa Principis pontonem exstruunt; ut ergo acquisitio
 C juris

juris istius per præscriptionem hodie valde difficilis, & Princeps per tolerantiam non facile per tempus immemorabile cuidam absque titulo pontonem exstruere volenti hoc permissurus sit; è contrario se voluntati privati, multo minus subditi non tam submissurus credatur, ut alteri aliquid concedere volens à privato prohiberi queat, sequeretur enim omnino, si privatus contra privatum haberet jus contradicendi, vel prohibendi, quod Principi eo ipso potestas alii concedendi facultatem, aut exercitium juris ripaticorum, adempta sit; quod dignitati Principis valde obstaret. Res hæc jam decisa est in jure habendi molendinum aquaticum in flumine publico, si quis enim à Principe facultatem ædificandi impetraverit, invito etiam vicino aut alio quodam id exstruere valet, uti affirmant *Wesembec. Conf. 33. § 67. p. 1. Rauchbar, p. 1. q. 27. n. 9. Nov Meurer/Wasserrecht quest. 9. von Mühlen n. 10.* limitant tamen, modo id non fiat in grave alterius damnum, licet alii interceptiatur utilitas. Sed hoc non adeo extendendum est, ut dicere velis, nec privatum jus ripaticorum habentem, piscatores, aut molitores vicinos prohibere posse, ne peregrinantes scaphis aut cymbis pro certâ mercede trajiciant. Sanè nec ipsis permissum est, pro eorum personis, aut familiis ulterius uti his scaphis, quam, quousque iisdem vel ad piscationem, vel ad usum molendinorum opus habent, aliàs quia dolose & in fraudem possessorum pontonum sit, actione

actione ordinariâ ejusmodi contravenientes conveniri & ipsis hoc exercitio, ad implorationem, à magistratu ordinario interdici potest, prout factum memini in causa K. S. T. contra die Schiff-Müller und Fischer zu Strebla; similiter contra die Fischer zu Gohlis. An verò quis ad evitandam solutionem ripaticorum possit flumen de una ripa in alteram transire, ut nec ponte, nec navi, nec pontone ad eam rem utatur, in dubium vocat. Bald. *in l. 3. C. de priv. fisci.* & in affirmativam respondet, id nempe fieri posse, ita tamen ut consuetudo in eo attendatur, idemque cum Baldo sentit Alvarot.

§. IX.

Ulterius transituris nobis obvenit quæstio: An pontones rebus mobilibus, aut immobilibus accenseantur, quæ quæstio discutienda imprimis in materia successionum; Sunt autem res immobiles, quæ salva sua substantia, natura aut jure de loco in locum transferri non possunt, & quidem vel naturaliter tales, vel civiliter: naturaliter immobilis est res corporalis, quæ natura sua moveri nequit, ipsum nimirum solum, fundus, ager. *l. 27. l. 31. l. 115. l. 198. de V. S. liegende Güter und Gründe/* aut solo naturâ, *l. 44. de R. V. artevé l. 17. pr. l. 18. ff. de act. emti. l. 22. §. nec vero. C. de adim. tur. firmiter coharens, was Erd- und Nagel-fest ist.* Civiliter vel Juris intellectu nonnunquam pro immobili habetur in certis casibus res corporalis, naturâ mobilis, quæ ad rem quandam immobilem destinatio;

natione patrisfamilias sic pertinet, ut ab ipsa loquendo separari nequeat, & in illa materia, de qua agitur, planè similis est rei immobili, eundemque cum re naturaliter immobili habet effectum vid. Carpz. p. 1. C. 5. d. 19. Mev. ad Jus Lub. l. 3. t. 5. art. 5. Mobiles res sunt, quæ manentes integræ vel salvæ de loco suo moveri, ac in alium transferri commodè possunt. l. 79. ff. §. 1. de legat. Sive moveantur ab alio: ut pecunia numerata. N. 22. c. 45. P. 3. C. El. 23. Merces l. 66. ff. de V. S. Carpz. p. 2. C. 23. d. 13. Hinc merces tabernæ, marito, hæredi mobiliari cedere, responsum est F. J. L. m. April. 1712. Sive sint se moventes, sc. res animatæ, habentes facultatem loco-motivam l. 15. C. de sacrosf. Eccles. priusquam autem applicationi ad nostram materiam nos accingamus, videndum est, utrum de jure, seu privilegio habendi pontonem, an verò de machinâ tantum von der machine die man eine Föhre nemet / loquamur. Rebus immobilibus æquiparantur & res incorporales Struv. *Synt. J. C. exercit. 3. l. 1. Z. 80. 86.* qualia sunt inter alia jura in rebus immobilibus competentia, putà regalia majora & minora Struv. *Synt. J. F. C. B. aph. 13. seq.* Sunt autem, qui jura appellatione nec mobilia, nec immobilium comprehendere sed tertiam bonorum speciem constituere volunt Francif. Nig. *Cyriac. l. 2. contrav. 218. n. 8. 9. & contrav. 221. n. 12.* Fontanell. *de pactis ante nupt. claus. 7. gloss. 2. p. 1. n. 15.* Alii jura rebus mobilibus annumerant. *arg. l. un. §. exadio*

exactio C. de rei uxor. actione Tiraquell. de retract.
S. 1. gloss. 7. n. 7. Trentacinq. variar. resol. l. 3. tit. de
donat. resol. 3. n. 14. Alii jura lege immobilium
 comprehendi ac regi putant, quos recensent. Ti-
 raquell *c. l. & Trentacinq. c. l.* Proprie nec mo-
 bilibus nec immobilibus accensentur improprie ta-
 men, vel ad mobiles, vel immobiles referri pos-
 sunt, & id vel ob naturam objecti, cujus causa com-
 petunt. *arg. l. 15. p. de reg. j.* vel subjecti inhætionis,
 cui inhærent. Cumque igitur in præsentiarum hoc
 in casu jus habendi pontonem flumini inhæreat, pro
 eo omnino immobili habendum erit, hinc nullo alio
 modo jus trajiciendi super flumen, quam ceu immo-
 bile quoddam consideramus.

§. X.

Sed quid de machina ipsa seu pontonis structu-
 râ dicendum? Sane res omnino dubia est, nullibique
 expressè decisa legitur. Si quis eundem pro re im-
 mobili habere velit, argumenta ipsi non deerunt,
 quibus sententiam suam defendere valeat, & saltem,
 licet non naturâ, attamen ex juris intellectu, putâ
 destinatione, immobilibus accensetur; per destina-
 tionem enim eamque in actum deductam secundum
l. 17. §. 7. 10. ff. de act. empt. & vendit. Berlich. p. 3. concl.
30. num. 7. sq. Speidel in Observ. jurid. polit. Historic.
specul. in verbis sâhrende Naab pag. 319. Lauterb. ad tit.
ff. de act. empt. vend. §. 1. num. 16. aliorumque docto-
 rum communem sententiam, mobilia pro immobi-
 libus habentur, quia quæ fundo destinata sunt,
 C 3 quamvis

quamvis mobilia sint, tamen pars fundi habentur, non tantum affixa & inclusa aut alio modo inhærentia, sed etiam separata, modo in usu perpetuo sint. Franzk. in *Comment. ff. t. de act. emt. & vend. num. 204.* quod non absque ratione de pontone, quo conservatur & exercetur jus ripaticorum ob itenditatem rationis statuendum, nam & hic perpetui usus causâ, in flumine vel loco, ad quem privilegium vel jus ripaticorum restrictum est, habetur *arg. l. qui fundum 40. §. 5. ff. de contrah. emt. vend.* Nicol. Myler in *Metrolog. c. 18. §. 25.* Et si actualis destinatio eum habet effectum, quoad lectos aliamque supellestem in diversoriis publicis, perpetui usus gratiâ existentem ut has res naturâ sua mobiles immobilibus accenseat, uti expressè statuunt Heig. *l. 2. q. 9.* Berlich. *p. 2. concl. 30. n. 25.* Besold. in *Thesauro pract. v. Liegende Haabe.* aliique DD. alleg. ab Esbach. in *notat. ad Carpz. p. 2. C. 24. d. 19.* (quamvis huic asserto repugnet Carpz. *p. 3. C. 24. d. 10.*) quare non multo magis intelligi debeat de pontone, quippe in quo major adhuc invenitur ratio, quam in lectis, magis enim necessaria est destinatio, cum ob hanc destinationem & ob perpetuum usum & exercitium, alicui facultas à Superiore concedatur habendi pontonem, & absque eodem instrumento privilegium inane sit, illique qui habet, prodesse ne minimum quidem possit, cum è contrario nullibi sit de essentia diversorii, ut lecti ibidem habeantur; Sed ponamus quoque uti Heig. *d. l. in fin. junct.* Schilt.

Exer.

Exercit. ad ff. 4. th. 22. volunt, hanc veram esse rationum, quod tales lecti inter immobilia sint censendi, quia scilicet sunt pertinentiæ, sine quibus jus hospitii exerceri non potest; Sane aliud quid de pontonibus dici non potest. Puram enim & absolutam involveret contradictionem, exercere velle jus ripaticorum, sed non habere pontonem, aut aliam machinam pro trajectu inservientem & hâc ratione nihil aliud esset, quam nomen habere sine re; Militat quoque pro iis, qui pontonem immobilibus accensent paritas molendinorum nauticarum, *derer Schiffmühlen* cum pontonibus, etiamsi enim ista salva substantia à loco in locum moveri queant, attamen hoc salvo jure fieri non potest; Ratio, quia jus habendi molendinum, pari modo ac ripaticorum, ad certos terminos fluvii inclusum est, nec ubivis exerceri debet, ideoque machina locum, ubi quis concessionem, vel jus exercitii impetravit, sequitur; hinc navalia ista pro immobilibus habentur *Hering de molend. g. 8. n. 16. sq.* *Berg. Oecon. jur. p. m. 216.* à quo asserto autem Jcti Lipsienses olim dissentiebant *Test. Zobel. l. 3. diff. 10. n. 12.* Aliæ adhuc, & non levis ponderis rationes in promptu sunt, quibus demonstrari possit, non immeritò pontones rebus immobilibus annumerari; sed ne prolixiores in una materiâ simus, saltem dicimus, quòd multorum DD. auctoritate, ratione accessionis res separatim consideratæ mobiles, immobiles fiant, sic
pro

pro immobili habetur Puteal, quo puteus operitur, lines & salabræ, fistulæ, quæ salientibus junguntur, quamvis longius excurrant *l. 13. 14. 15. ff. de act. emt.* & generaliter omnia, quæ in ædibus sunt perpetui usus causâ, pars ædium censentur. *l. 17. §. 8. cod.* Tormenta, machinæ bellicæ, licet naturâ sua sint res mobiles, arce tamen venditâ, quæ machinæ arcis tuendæ causâ sunt comparatæ, unâ transeunt & habentur pro immobilibus *arg. l. 13. §. fin. ff. de act. emt.* Paul. Christ. *Vol. 1. dec. 212.* De quibus consequentia ad pontonem valere videtur, ut exinde, ceu diximus, colligatur, pontonem ad usum certum destinatum in flumine pro re immobili haberi.

§. XI.

Si aliorum paulisper investigemus opinionem, & quidem statuentium, pontones rebus mobilibus esse accingendos, nec ipsorum argumenta tam infirma reperiemus: primum quod obvenit, est definitio rerum mobilium; Sane enim in genere pro certo tenendum est, mobilium nomine venire omnia, quæ sui natura de loco in locum moveri possunt *Francisc. Mantic. de conject. ult. volunt. l. 9. t. 3. n. 1.* quorumque avulsio non inducit aliquam deformitatem, prout fit in iis, quæ sunt affixa solo. *Jason. in l. cætera 41. §. ult. n. 1. ff. de leg. Carpz p. 3. c. 24. d. 7. n. 9.* sic navis habetur pro re mobili *l. vim facit. 20. §. quod in navi fit. 4. ff. quod vi aut clam.* & valet hîc argumentum à toto ad partem,

tem, quia enim navis tanquam totum accensetur rebus mobilibus, ergo & ejusdem pars, ponto talis esse videtur, cum præterea unius ejusdemque par sit ratio, quum navis pariter ac pontonis nisi moveantur nullus existat usus. Nec enim regula generalis & recepta est, quod omnis destinatio, etiam actualis, rei mobilis ad immobilem capax sit, ut rei mobilis naturam immutet eamque immobilem reddat. Sed tum demum hoc evenit, ut instrumenta ad certum corpus destinata, ejus naturam induant, si ipsa cum dicto corpore adeo firmiter cohæreant, ut absque totius rei interitu nequeant separari, sic ex eadem ratione per Mand. El. 617. expressè cautum est, omnes in tabernis & officinis repertas merces, mobilibus accenseri, non obstante, quod tunc officina seu taberna sit referens absque relato. Et si dicamus, jus ripaticorum absque pontonibus non exerceri posse ideoque istos à jure non separandos, tamen exinde non sequitur pontonem propterea pro re immobili habendum, sed responderetur, quod, si in successione e. gr. hæredes lucentur immobilia, istos absque interitu ripaticorum juris aut alios pontones extrui curare, aut pretium eorum ipsi, cui jure ordinario debentur, solvere posse, & per instantiam quamvis vinea absque torcularibus & pressoriis esse nequeat, attamen ea, etiamsi ad perpetuum vineæ usum destinata sint, non pro immobilibus, sed pro mobilibus habentur. Teste Carpz.

p. 3. C. 24. d. 7. Porro non omnium una est opinio, ut supra diximus de lectis in diversoriis, quod immobilibus accenseantur, dissentit enim Carpz. *l. 3. c. 24. d. 10.* refellitque opinionem DD. contrarium statuentium, pro suaque thesi *ibid.* §. 4. *sq.* dicit; quodsi aliquid ad perpetuum usum destinatum dicere velimus, hoc accipiendum de destinatione aliqua reali, quando scilicet res mobiles immobilibus affiguntur & annectuntur, ita, ut salva substantia ab immobilibus nequeant divelli; Ut maxime verò lecti ac lintheamina à muliere in diversorio ad perpetuum usum destinentur, attamen mobilitatem naturam non exuunt & proinde diversorii essentia non immutatur, sed diversorium manet, etiamsi vel planè nulli lecti vel alii in ipso habeantur; alias sequeretur, si lecti vel lintheamina per diuturnum usum aut alio modo pereant, diversorium una cum illis interire, quod absurdum foret statuere, igiturque videmus lectos non adeo firmiter diversoriis inherere, ut absque interitu eorum invicem separari nequeant. Pari ratione, si pontones pro immobilibus & juri ripaticorum adeo infixos credere vellèmus, ut absque interitu hujus juris abesse nequeant, sequeretur, jus ripaticorum, si pontones vetustate confecti, vel casu perirent, cum ipsis quoque defuisse, quod vix aliquis affirmare audeat; hinc ex destinatione pontones non fiunt immobiles: Ulterius pro ratione adduximus molendina nautica, quorum ad exemplar

emplar nonnulli putant, sequi, pontones ob paritatem immobilibus accenseri; Sed nec hoc adeo expeditum est, molendina nautica ad res immobiles referenda esse, Carpzov. enim contrarium statuit, ponitque, aliam esse rationem molendinorum aquis supernatantium, ac aliarum molarum, quippe ista de loco in locum moveri possunt, ideoque merito inter mobilia referri & lucro mariti cedere. Carpz. p. 3. C. 24. d. 8. Quicquid autem sit & quamvis opinio Carpz. circa molendina nautica usu hodierno non tam recepta sit, ut eam sequi cogamur, contradicunt enim inter alios DD. Hering. de molend. quest. 8. n. 16. sq. Rosenthal. de feud. c. 4. Struv. S. J. f. c. 6. aph. 11. nautica molendina immobilibus connumerantes. Attamen, etiamsi immobilia sint, pontonum eadem cum iisdem non est ratio; nam ejusmodi molendini, si movetur, nullus est usus, sed hujus causa certo loco firmiter alligatum & infixum esse oportet, alias inservire alicujus commodo non potest, adeo ut tantum sit forma accidentalis, quod praestito usu moveri queat. Secus est in pontone, hic enim eo ipso facto, quo movetur, usum suum praebet, & si solo vel ripis infixus est nihil commodi facit, igiturque nobis licebit, cum pace aliorum, quibus haec nostra opinio non omnino, vel ob meliorem investigationem, vel ob privatam aliquam rationem placet, ab opinione altera recedere, statuentibus; jus ipsum ripaticorum, quoad tale, immobilibus omnino an-

numerari, machinam autem, quam ore germanico
 eine Fähr / vel pontonem appellamus, tanquam
 instrumentum, quo jus exercetur ad res mobiles
 referendum esse. Sanè eadem ratio huic asserto
 inest, ac ut jam adductum, cum torculari, quod
 quoque res mobilis est; Si enim quis dicat, jus ri-
 paticorum absque pontone exerceri non posse, re-
 plico, nec mustum sine torculari fieri posse; & quem-
 admodum torcular à vinea in casu successionis
 (ubi opus est) separari & divelli potest, ut, hoc
 non obstante, vinea tamen vinea permaneat,
 sic quoque instrumentum, quòd ponto vocatur,
 urgente separationis necessitate à jure vel à loco
 cui inservit, separatur absque interitu juris, aut
 privilegii. Si enim successor in jure exercitium
 vel facultatem trajiciendi, non utendo, non amit-
 tere vult, facile eo niteretur, ut machinam vel re-
 dimat vel aliam ædificari curet. Usus explicatio-
 nis & distinctionis hujus materiæ non modicus est;
 Nullum impræsentiarum alium adducemus, quam
 qui occurrit saltem in successionebus, cum primis
 inter virum & uxorem. Res apud Saxones trita
 omnique dubio carens est, si statuta quorundam
 locorum exceperis, maritum post mortem conjugis
 occupare ejusdem bona mobilia *L. R. l. 1. a. 31.*
l. 3. a. 26. P. 3. C. El. 22. exceptis utensilibus, quæ
 ad filias transeunt, Zobel. *diff. jur. civil. & Sax.*
p. 3. diff. 9. 10. In bona verò immobilia uxoris, ma-
 ritus supervivens non succedit nec de iis quicquam
 lucra-

lucratur. *Wesemb. Conf. 285. n. 17. sq. Carpz. p. 3. c. 23. d. 22.* Si igitur res in dubio est, quid mobilibus, quidve immobilibus accensendum, divisio hæreditatis ex hac causa non sine maximis incommodis, per multos protrahitur annos, usque dum hæc quæstio, ceu præjudicialis decidatur. Cum verò, uti ex superioribus patet, res ita sese habeat, ut equidem jus ripaticorum, quod in flumine omninò certis terminis inclusum est, & extra istos non exerceri debet, pro re immobili habeatur, sanè de eo maritus post obitum conjugis planè nihil lucratur; Si è contrario superficies, si ita appellare licet, vel structura mobilibus annumeretur, hæc ad maritum absque dubio transiret, adeò ut hæredibus nihil exinde competat.

S. XII.

Diximus in antecedentibus, jus ripaticorum privatis non ut regale, sed ceu privilegium, aut commodum fluminis acquiri, & concedi; videamus igitur pauca de ejusdem privilegii amissione: Traditur equidem regulæ instar *l. 5. ubi Barthol. ff. de decret. ab ord. sac.* privilegium semel acquisitum seu concessum amplius revocari non posse, quia absoluta Principis potestas ad jura privatorum temerè violanda non extenditur *Wesemb. conf. 45. n. 46. Rauchbar. q. 11. num 125. p. 2.* sed limitandum omninò hoc assertum erit, ut revocari ejusmodi jura seu privilegia possint, si qualitas, vel causa propter quas privilegium est indultum certæ perso-

næ, expirent; sic si jus ripaticorum personæ sit concessum, non erit perpetuum, sed morte privilegiati expirat, *l. form. 4. §. quanquam 3. d. Cens. l. in omnibus 68 Neratius 91 ff. d. R. J. 2)* pœnitentia concedentis, si scilicet adsit causa sufficiens, gravis & rationabilis, Francisc. Neg. Cyriac. *Contr. For. 57. num. 3.* quæ tamen revocatio non facillè locum habet, si jus, vel privilegium ex causa onerosâ, vel remunerationis gratiâ concessum fuerit, quia tunc in formam contractus transire videtur, *Tiraquell. ad l. Si unquam n. 14. C. de revoc. donat.* Princeps verò ex contractibus naturaliter & civiliter tenetur. Hugo Grot. *de J. B. & P. l. 2 c. 14. §. 6. n. 1. 3)* si Princeps ob salutem publicam id revocare cogatur, *l. 11. §. 2. ff. de muner. & honor. v. c. tempore belli ad tempus aliquod, ne hostibus occasio transeundi per flumina suppeditetur. Gail. 2. obs. 60. n. 15. de quest. an Princeps privilegia concessa emergente necessitate tollere possit?* Aut si 4) sibi potestatem revocandi reservaverit *l. 1. in pr. ff. de precar. 5)* Renunciatio-
ne privilegiarii vel expressâ, verbis vel litteris; vel tacitâ, non usu, aut actu contrario, præsumptionem de mutatâ voluntate excitante, ut videatur renuntiasse privilegio; & jure communi, lapsu decem annorum non utendo *Mæv. P. 2. dec. 1. n. 1.* Jure Saxonico Elect. tempus requiritur 31. annorum 6. hebd. & 3. dierum *Carpz. p. 2. c. 3. d. 23. n. 12.* quot autem actus contrarii requirantur, anceps est DD. quæstio, nos in præsentiarum secuti *Gail. l. 2. obs.*

obs. 69. unicum etiam actum directe contrarium renunciationem inducere posse asserimus *l. Commissi. 4. C. de pact. inter empt. & vendit.* 6) Propter abusum; indignum quippe se facit privilegio, qui concessâ abutitur potestate *l. Christi. 6. C. de pagan. c. privil. 63. c. 11. q. 3. c. tuarum 11. X. de privil. Zœl. ad h. l. n. 38.* Dn. Card. Fuchs. *concl. pract. 84. lit. p.* 7) propter aliquod enorme delictum seu crimen, quod privilegium excludit *l. d. si ex parte. 4. §. quanquam 1. ff. quod cum eo, qui in alien. jura & privilegia enim benè, non malè merentibus, dantur l. testam. 26. ff. de testament.* Hæc equidem jam recensita prolixius deducendi campus mihi apertus videretur satis amplus, materiaque disputationis abundè larga fuisset, ut eandem ex omni jure fusiùs explicare valuisssem; sed ne videar quasi rem meam agere, hîc subsisto pedemque figo, firmiter persuasus, me, si olim conditio postulaverit, emergente casu, vel voluntatis, vel necessitatis, plura de hac materia, si non, in lucem publicam proditurum, attamen in foro, quod forsân æque publicum measque aut aliorum partes etiam in casibus, quos adhuc tacere consultiùs judico defensurum; Hæc pro temporis & instituti conditione sufficere judico, quibus quod omnibus satisfecerim non tam ambitiosus sum, ut mihi persuadeam; Si cuidam quadam placuerint, gaudeo, si verò quis noverit aliquid rectiùs, isti non invideo, neque enim in hac materia opinionem aliquam mordicus


dicus retinere juvabit, cum fortasse nonnulla in
aliud resolvi possint; hæc igitur terminalia sunt;
cogita ad interim L. B. si erravero, quod mortali-
tas habeat hoc triste privilegium, ut nonnunquam
errare liceat, & te fortasse ante me errasse, aut
imposterum hoc inevitabile malum te non evi-
taturum, fore: Veniam interea brevitatis
me facile impetraturum credo,
Vale Lector,

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

TE VIR CLARE dedit doctum Pru-
dentia summa
Hinc modo restabant Præmia tanta
TIBI.

Paucis his Dn. Dd. amicitiam suam
de lazare nec non quavis fausta
apprecari voluit

M. S. C. HOFF. Con-R. Minorit.
et S. M. C.





99 A 69 69

ULB Halle 3
002 843 897




Sb.

V3 17


Retro











xxx.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
JURERIPATICORUM
SEU DE JURE HABENDI PONTO-
NEM IN FLUMINE PUBLICO,
vulgò *Säbr-Berechtigkeit* / *rc.*

OVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
PERANTIQUÆ UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
D O M I N O

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTI-
TIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM MO-
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

SUB PRÆSIDIO
DN. JOH. HENRICI Meiers / JCTI.

ELECTORAL. REGIM. CONSILIAR. PROFESS. DECRETAL. PUBL. FACULT.
JURID. p. t. DECANI AC SENIORIS, ET JUDIC. PROVINC.
ASSESSORIS PRIMARIJ,

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORALEM IN UTROQVE JURE ADIPISCENDI,
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII MAJORIS,

Die 27. Novembris 1714. publicè defender
AUTOR ET RESPONDENS

CAROLUS JOACHIMUS Thönniker /
ADV. IMMATR. HACT. SCHNEEBERGENS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.